

et proportionatam causam, quæ principem ad illam faciendam inducat. Probo primo ex generali ratione actus humani, quia, ut sit honestus, debet fieri ex causa rationabili, alias prudenter non fiet, et consequenter neque honeste. Deinde, vel privilegium est contra jus commune, vel tantum ultra. In priori, ut servetur justitia legalis et distributiva, est necessaria justa causa, ut constat a simili ex dictis l. 6 de Dispensatione legis. In posteriori autem privilegio, non est tanta inordinatio si absque causa concedatur, quia plus habet de gratia quam de justitia: nihilominus tamen, ut non sit actus prodigalitas, sed prudentis liberalitatis, nonnulla causa proportionata necessaria est. Præsertim quia privilegia aliter concessa multiplicantur nimis et contemnuntur, et in aliis generant invidiam, et perturbant pacem, quia non fiunt sine aliqua personarum acceptione et improportione inter membra ejusdem corporis politici; ergo in omni privilegiorum genere est aliqua causa necessaria.

3. Secundo, vero dicendum est hanc causam non esse ita necessariam, ut defectus illius reddat privilegium irritum, si ex parte petentis non interveniat deceptio, aut iniqua occultatio, quia tunc privilegium erit nullum, non tam ex defectu causæ quam ex defectu voluntatis concedentis. Prior pars est certa in privilegiis, quæ sunt pura beneficia sine derogatione aut repugnantia juris communis, quia si causa deficiat, non fit propria injuria, sed ad summum est nimia quædam elargitio, quæ facta tenet, licet minus prudenter fiat; in privilegiis autem contrariis juri communi habet nonnullam dubitationem, quia multi putant dispensationem legis humanæ, sine causa datam, non solum esse iniquam, sed etiam nullam. Quod si esset verum, a fortiori idem dicendum esset de tali privilegio, quia est veluti permanens et continuata dispensatio in jure. Item quia indulgentia sine causa data est nulla; privilegium autem est indulgentia quædam.

4. *Nulla potestas inferior potest privilegium concedere contra jus superioris.* — Nihilominus assertio posita etiam in hoc privilegio est vera et communior. Habet autem locum in privilegio eximente a jure, quod pendet a voluntate ipsius concedentis privilegium. Nulla enim potestas inferior (ut dixi) potest privilegium concedere contra jus superioris. Et ita solus Papa potest concedere privilegium contra jus commune canonicum; et sic de aliis

proportionaliter, quia nullus inferior potest in jus superioris dispensare, nisi in casibus concessis, vel necessariis, propter quos non datur privilegium. Hinc ergo patet ratio assertionis, quia auctor legis potest illam ex parte tollere, quod facit privilegium concedendo, et quamvis inique id faciat sine causa, quia tamen cum effectu mutat voluntatem, a qua essentialiter pendet obligatio legis, ideo etiam cum effectu validum concedit privilegium. Et idem supra dictum est de dispensatione, et ita cessat difficultas supra posita. Et de indulgentia, suo loco dictum est attingere divinum jus, et ideo requirere causam ad valorem suum.

5. Unde obiter infero fere nullam esse differentiam quam aliqui assignant inter privilegium et dispensationem, quod illud sine causa conceditur, hæc vero minime. Nam si sit sermo de abusu, etiam dispensatio concedi potest sine causa; si vero sit sermo de legitimo usu, etiam privilegium requirit causam; si denique sit sermo de valore, sicut privilegium valet sine causa datum, ita et dispensatio, proportionem servata. Aliqui vero distinctionem illam admittendam esse putant inter privilegium quod non est contra jus, et dispensationem, ac subinde etiam inter privilegium quod est contra jus, vel tantum supra jus: tenet Sanc., lib. 8 de Matr., disp. 1, n. 4; et ita cautius ponit illam differentiam, quod privilegium sine causa concedi potest, non tamen dispensatio, cum Rebuff. in Concord. in forma mandati, verb. *Dispensationis*, et Mandos. Sed contra hoc etiam urget ratio facta, quia si sit sermo de potestate ut actus valeat, etiam dispensatio et privilegium contra jus potest dari sine causa; si vero de potestate ut actus licite fiat, sic etiam privilegium, solum ultra jus, requirit causam honestam, ut licite detur. Concedo autem non requirere tantam causam, nec ob defectum ejus committi propriam injustitiam, et in hoc posse assignari aliquam differentiam. Quæ ita commode explicari potest inter ipsa privilegia, quia in privilegio rigoroso derogante juri requiritur causa ex parte ipsius materiæ, seu actus, ut honestetur: in privilegio autem quod est purum beneficium, non semper requiritur causa ex parte materiæ, seu actus concessi, sed ex parte concedentis, ut prudenter et moderate sua liberalitate utatur; quod etiam suo modo in aliqua dispensatione locum habet, ut supra dixi.

6. *Deceptio impedit voluntarium, ac proinde valorem privilegii.* — De duplici motivo per se

et per accidens, et duplici inde proveniente deceptione. — Circa posteriorem partem seu limitationem assertionis, advertendum est tunc privilegium sine subsistente causa concessum validum esse, quando princeps voluntarie illud concedit, quia omnino pendet ex voluntate ejus. Hinc ergo fit ut, si falsa causa ei proponatur, concessio non sit valida, quia deceptio impedit voluntarium. Possumus autem in hoc genere distinguere duplicem causam, et consequenter etiam duplicem deceptionem. Una est causa per se, scilicet, illa quæ movet ad privilegium concedendum; alia est causa per accidens, scilicet, removens, prohibens, id est, occultans conditionem aliquam, quæ, si aperiretur, impediret cognita, ne privilegium concederetur. Ad priorem causam pertinet falsa narratio, per quam aliquid proponitur, ut moveat principem, quod verum non est. Et hujusmodi falsitas (per se loquendo) reddit irritum privilegium, c. *Super litteris*, c. *Ad aures*, de Rescript., c. *Non potest*, de Præb., in 6, c. *Quia circa*, de Consang. et affin., ubi Gloss. et latius Parnormitanus in dicto capit. *Quia circa*, et in cap. *Ad audientiam*, 2 de Rescript.; ubi etiam Felin. cum aliis, et in d. c. *Super litteris*. Ratio vero satis constat ex dictis. Oportet autem ut illa causa quæ falso proponitur, vere talis sit ut moveat principem: nam si absque illa sunt aliæ causæ propter quas concederet princeps privilegium, etiamsi una non existat, potest aliquando esse validum privilegium, non obstante aliqua falsitate, præsertim si ex ignorantia, et absque dolo misceatur, juxta dicta de dispensatione.

7. Posteriori causæ correspondet diminuta narratio, quæ est, quando aliquid occultatur, quod si princeps sciret, privilegium non concederet, ut docent Panormit. et alii doctores supra, et colligitur ex eisdem juribus, et ex c. 2 de Filiis Presbyt., in 6. Quia tunc etiam censetur princeps involuntarius. Hoc autem (juxta communem sententiam) maxime procedit, quando aliquid tacetur quod secundum jus esset narrandum, ut, qui postulat beneficium, aperire debet an aliud habeat, et in indulgentiis est simile. Idemque existimo esse servandum quando, ex consuetudine et stylo curiæ, constat talem conditionem esse aperiendam, quia solet multum impedire aut movere principem. Nam totum hoc postulatur propter principis voluntatem, scilicet, ut voluntarie consentiat: potest autem non minus constare de hac voluntate per consuetudinem,

quam per jus. Quando vero utrumque deest, prudenti arbitrio utendum est, ut latius de dispensatione dictum est.

8. *Quodnam motivum sufficiat ad justificandum privilegium.* — Tandem circa hanc causam interrogari potest quænam sit sufficiens ad honestandum et justificandum privilegium. Hoc tamen non potest certis regulis definiri, sed prudenti arbitrio superioris relinquendum est. Unde ex parte subditi bona fides sufficit, si cum illa procedat, et veram ac sufficientem narrationem faciat, ut, nisi evidenter constiterit rem esse iniquam, possit suo privilegio licite uti, quia semper debet præsumere pro suo superiore. Et idem est si Prælati suo motu proprio privilegium concedat, absque petitione subditi; tunc enim non oportet subditum esse sollicitum de causa, et an superior sufficientem diligentiam fecerit; nam ubi oppositum non fuerit certum, supponere potest ac debet rem esse legitime factam. Ex parte autem superioris, solum adverti potest (quod in principio hujus materiæ insinuavi) non oportere hanc causam semper immediate pertinere ad commune bonum, quia privilegium ex sua primaria intentione est lex privata, et ideo satis est quod respiciat commodum ejus cui conceditur. Mediate autem semper redundare debet in commune bonum, quia semper debet fovere religionem, pietatem, aut justitiam, aut dari in remunerationem virtutis, vel laborum, etc. De quibus causis videri possunt c. *Didici*, c. *Tali*, cum aliis, 1, q. 7, et cap. *Ipsa pietas*, 23, q. 4.

CAPUT XXII.

QUOS EFFECTUS HABERE POSSIT PRIVILEGIUM, UT PRIVILEGIUM EST.

1. Explicuimus hactenus privilegii naturam seu essentiam, ejusque causas, reliquum est ut de effectibus ejus dicamus. Diversorum autem privilegiorum varii sunt effectus: nam per distinctos effectus distinguuntur privilegia, non quatenus effectus sunt, sed quatenus ad illos ut ad terminos seu quasi objecta ordinantur. Unde, sicut hic non tractamus de distinctione privilegiorum inter se (quia non est præsentis instituti ad particularia privilegia descendere, sed in communi tantum legem privilegiativam explicare), ita non intendimus dicere de particularibus effectibus privilegiorum (illi enim fere per omnes materias morales vagantur), sed dicendum tantum est

de effectibus in communi, quos privilegium, secundum suam universalem rationem, habere potest, et de conditionibus requisitis in unoquoque privilegio ad operandum suos effectus, ac denique quanta sit vis activa privilegii, et quomodo ex verbis ejus illorumque interpretatione colligenda sit.

2. *Tres generales effectus convenire privilegio, et quidnam sint.*—De illis ad quos comparari privilegium potest.—Primum ergo statuimus tres generales effectus convenire privilegio, videlicet, dare jus aliquod seu facultatem aliquid agendi vel non agendi, recipiendi, vel conferendi, obligare aliquem ad illud jus conservandum vel non impediendum, et derogare alicui juri privilegio repugnantem. Hanc assertionem sumo ex communi doctrina scribentium in hac materia; nam, licet distinctionem hanc formaliter et sub his terminis in nullo invenerim, tamen singula membra passim in eis reperiuntur, et omnia quæ de effectibus privilegiorum dicunt, ad illa tria capita revocantur, ut ex discursu omnium quæ hactenus diximus facile intelligi potest, et constabit amplius ex sequentibus. Declaratur etiam facili ratione ex definitione privilegii desumpta. Est enim privilegium lex, et, ut sic, habere debet effectum obligandi; est autem lex privata, et, ut sic, speciale jus vel facultatem concedit, et quia specialia jura solent derogare communibus, ideo privilegium, saltem rigore sumptum, effectum habet derogandi alicui juri. Potest enim sic declarari, quia privilegium comparari potest vel ad eum cui conceditur, sub quo respectu videtur propriam privilegii appellationem sortiri; vel comparari potest ad alios, et sic habet rationem legis, quamvis interdum possit rationem hanc exercere respectu privilegiarii, ut dicemus; vel potest comparari ad alia jura quæ illi repugnant. Privilegium ergo respectu privilegiarii habet effectum concedendi aliquid; respectu vero aliorum, habet effectum obligandi; respectu vero repugnantis juris, habet vim derogandi. Et ita constat divisio et distinctio membrorum inter se, ac sufficientia, quia, sicut in privilegio non potest considerari alius respectus per modum causæ, ita nec potest esse aliquis effectus ejus, qui sub prædictis membris non comprehendatur. Ut autem magis constet divisio circa duo membra prima, aliquid adnotandum et inquirendum est, non repetendo ea quæ in superioribus dicta fuerint, sed attingendo, et magis explicando, ubi oportuerit. De tertio mem-

bro, dicta sunt multa explicando definitionem et formam privilegii, et infra circa mutationem privilegiorum aliquid addemus.

3. *De ratione privilegii, ut aliquem effectum habeat in privilegiario.*—Circa primum ergo membrum, potest imprimis dubitari, quia in superioribus dictum est non esse necessarium ut privilegium semper aliquod jus speciale vel novam facultatem concedat, quia multa privilegia dantur ad pacandas conscientias et scrupulos, vel dubia tollenda, ut, præter supra allegatos, docent Panorm. in c. *Certificari*, de Sepult.; et Mandos. in regu. 3 Cancell., q. 17, n. 5; et Emman. Roder. tom. 4, q. 41, art. 9; ergo privilegium ut sic non necessario habet aliquem effectum, licet multa privilegia hanc efficaciam habeant. Respondeo de ratione privilegii esse ut aliquem effectum habeat in privilegiario, ut sumitur ex c. *In his*, de Priv., et cap. *Si Papa*, de Priv., in 6, ibi: *Cum verba aliquid operari debeant*, quia alias essent superflua, quod in lege vitandum est, l. 3, ibi, *Ne frustra*, ff. de Jur. jur., et in privilegio debent operari aliquid speciale, alias lex privata non esset, ut dicitur in c. *Abbate*, de Verb. signif., et optime probatur, quia alias esset inutile et supervacaneum, et quasi otiosus actus, quod de beneficio principis præsumendum non est. Unde fit debere privilegii effectum esse aliquo modo diversum ab effectu juris communis, quia alias nihil de novo conferret. Duobus autem modis potest effectus privilegii esse diversus ab effectu juris communis, et (ad rem magis declarandam) unum vocare possumus distinctum in re et substantia sua, alium tantum secundum modum. Effectus substantialiter distinctus est quoties privilegium dat jus vel potestatem ad aliquid agendum vel recipiendum, quod jus commune prohibeat, vel saltem non concedat: moraliter autem distinctum appello, quando non concedit novam potestatem, vel actionem quæ jure communi non esset possibilis et licita, confert tamen illam novo modo, vel novo titulo aliquam utilitatem moralem secum adducente. Dico ergo, ad rationem communem privilegii, satis esse quod habeat effectum proprium uno vel alio modo, quia quilibet illorum sufficit ut privilegium non sit inutile, et ita satisficit cap. *In his*, et rationi ejus, et rationi dubitandi propositæ, ac communi sententiæ.

4. Solum ergo potest inquiri quando privilegium unum vel alium effectum operetur, et præsertim an semper intelligendum sit ha-

bere effectum substantialiter distinctum a jure communi, et supra vel contra illud; an vero potius solum conferat novum modum operandi, quoties ille modus locum habet, sine novo effectu. Hoc enim posterius videtur persuaderi, quia, eo ipso quod privilegium aliquid operatur sufficiens ad nomen et rationem privilegii, in aliis restringendum est, quia specialia jura non sunt multiplicanda sine necessitate. Sed conferendo novum modum operandi habet sufficientem effectum ad rationem et nomen privilegii; ergo non oportet ut aliquid ultra efficiat. In contrarium vero est, quia inde fieret ut nunquam privilegia conferant aliquid contra vel ultra seu præter jus, quia semper possunt ita intelligi, ut confirmant ea quæ jus commune concedit, et novum tantum modum circa illa conferant; consequens autem est absurdum, et contra intentionem dicti c. *In his*; unde est receptum axiomata, si fieri potest, ita esse privilegium interpretandum, ut aliquid supra commune jus, vel etiam contra illud operetur. Ut sumi potest ex juribus allegatis, et ex l. 1, ff. ad Municip., ubi id notat Gloss.; et ex c. 1 de Rescript., ubi id notat Panorm.; et latius Deci., n. 4, qui alia plura allegat; et Navar. in tract. de Reddit., quæst. 3, mon. 6, n. 3; et Sylvest., verb. *Privilegium*, quæst. 3; ac denique est de ratione beneficii principis quod latiore interpretacionem et concessionem.

5. *Beneficia et favores ampliandi, odia restringenda sunt.*—*Verba privilegii non sunt extendenda, sine ratione urgente, ultra illorum proprietatem.*—Respondeo principaliter spectandum esse ad materiam et verba privilegii; et ex illis colligendum esse an effectus privilegii sit hujus vel illius qualitatis, simul habendo præ oculis illud principium, quod beneficia et favores ampliandi sunt, onera vero et odia restringenda. Si ergo verba concessionis privilegii contineant illud ipsum, quod clare et sine controversia jure communi concessum est, et nullum alium effectum distinctum in sua proprietate significare possunt, tunc tale privilegium non potest habere effectum substantialiter distinctum ab effectu juris communis, sed illum ipsum novo modo, id est, novo et speciali titulo. Ratio est, quia verba privilegii non sunt extendenda sine cogente ratione ultra illorum proprietatem; sed in eo casu verba non possunt habere effectum substantialiter distinctum intra proprietatem suam, ut supponitur, et nulla est necessitas impropiandi illa ex prima ratione superius

facta; ergo. Declaratur exemplo; nam si alicui detur privilegium dicendi Missam ante recitatam Primam, quod constat, jure communi esse licitum, ex vi illius privilegii nihil aliud habebit, nec poterit illud privilegium extendi ad dicendam Missam ante Laudes, ut aliquid præter jus operari vel dubium tollere videatur, quia verba illa, non recitata Prima, non significant Laudes, nec possunt nisi valde voluntarie talem recipere extensionem, quod a simili optime confirmari potest, ex c. ult. de Verb. signif. Quod si tale privilegium videatur inutile, sibi imputet qui illud postulat; ordinarie enim talia privilegia vel non dantur, vel non nisi ad importunitatem petentium; de se autem semper habent hunc effectum, quod illud licet novo titulo et speciali jure. Qui non est omnino frustra; nam per se ad hoc confert ut, licet postea jus commune in contrarium statuatur, nihilominus actus liceat ratione privilegii, quia per subsequens jus commune non revocatur nisi exprimitur, ut infra dicetur. Ut in casu si ponerent præceptum recitandi Primam ante Missam, habens illud privilegium maneret exemptus a tali præcepto, nisi specialiter revocaretur.

6. *Secunda conclusio.*—*De privilegio concedente potestatem commutandi vota.*—*Privilegium ad solum tollendum scrupulum vel dubium.*—Secundo, si verba concessionis in significatione propria solum contineant effectum, de quo est dubium, vel opinio utrinque probabilis, an jure communi liceat, necne; tum etiam per tale privilegium non fit effectus substantialiter diversus ab eo qui probabiliter creditur concessus jure communi, nec potest tale privilegium cum improprietate verborum extendi ad effectum aliquem, de quo certum sit non posse fieri jure communi. Ratio est eadem, quia verba non sunt impropianda sine causa, quia alias nihil esset fixum et certum; hic autem nulla est causa, imo minor quam in præcedenti, quia hoc privilegium et confert specialem titulum, qui permanebit, etiamsi generale jus contrarium postea subsequatur, et simul confert securitatem et certitudinem in tali actu, quæ magna est utilitas, et ideo talia privilegia frequentiora sunt. Potest hoc declarari vulgari exemplo de privilegio concedente potestatem commutandi vota, quod extendi non potest ad dispensationem etiam partialem, et ideo, juxta probabilem opinionem quod commutatio jure communi liceat in æquale, tale privile-